

fideles solucionem dicte unius pro centenario hucusque de ipsorum libertate fecerunt, transeundo in dicto facto secundum beneplacitum dicti regis; et quod si nostri fideles in facto dicto solucionis fuerunt sibi hactenus liberales, debet ad huc credere, quod propter affectionem quam habent ad ipsum sic se habebunt in dicto, tempore succedente, quod clare poterit cognoscere, in quantum augmentum diligant regni sui. Et det sibi dictus ambaxiator omnem largam spem, quod nostri ex solita liberalitate, ut credit erunt contenti de omni eo, quod spectet ad bonum regni sui, sicut fuerunt temporibus retroactis; non tamen de hoc per scripturam fieri permittat aliquam mentionem.

Et si dictus Rex diceret, quod vellet quod nostri fideles solvant de mercibus et rebus, quas emunt per casalia aliquod dritum, comittatur dicto ambaxiatori, quod procuret toto posse, quod nostri fideles a dicta solucione totaliter sint exempti: si inde hoc obtinere non posset, finaliter sit contentus, quod in omnibus casalibus spectantibus dicto Regi, a dicta solutione liberaliter sint exempti, sicut obtulit eius ambaxiator, qui fuit hic. Et dicat idem ambaxiator quod de aliis casalibus spectantibus proceribus regijs militibus et feudatis et alijs, nostri taliter se habebunt ex liberalitate ipsorum, quod idem Rex poterit merito contentari; non tamen de hoc per scripturam fieri permittat aliquam mencionem.

Si autem dictus Rex diceret, quod vellet facere tentari scrineos nostrorum fidelium, propter defraudacionem, quam faciunt in non dando sibi argentum, ut tenentur, procuret suo posse ambaxiator predictus, quod idem rex desistat a dicta petitione: sin autem hoc obtinere non posset, sit finaliter contentus, quod nostri mercatores iurare debeant nostro Baiulo, presente aliquo officiali regio, si Rex voluerit, quod recte dabunt id quod debebunt, et quod non fraudebunt regium rationem in facto argenti, quod dari debebunt regie ceche: de quo sacramento contentus esse debeat Rex prefatus, omnia alia inquisicione, examinacione et tentacione sublati.

Et si dictus Rex aliquam differrentiam apponeret in aliquo aliorum capitulorum, que apportavit Ser Jacobus Trivisano, extra illa que superius sunt distincta, seu in facto gravitatum de quibus nobis scripsit Baiulus noster per suas litteras, quam exemplum